

De "Iansenismo" in Ordine Praemonstratensi (II).

De « Iansenismo » in Ordine Praemonstratensi iam plus quam semel in *Anal. Praem.* sermo fuit. Cfr. *An. Praem.*, XXXVI, 1960, pp. 152-160 (cum adiuncta bibliographia). Interea plura de eodem themate publici iuris facta sunt, e quibus variae notitiae non paucae de illo themate novam et magis intensam lucem afferunt pro recto iudicio ferendo relate ad ea quae de « Iansenismo » in Ordine nostro evererint.

Inscriptiones novarum harum publicationum hae sunt :

L. CEYSSENS, O.F.M., *La première Bulle contre Jansénius. Sources relatives à son Histoire* (1644-1653). Tome I (1644-1649) (pp. LXVI+840). — Tome II (1644-1653) (pp. LV+898) (Bibliothèque de l'Institut Historique Belge de Rome, fasc. IX-X). Bruxellis-Romae, 1961-1962 ; Id., *Les I^{re}, II^{re}, III^{re} et XIX^{re} des trente et une propositions condamnées en 1690*, in *Rev. d'Hist. Ecclés.*, LX, 1965, pp. 33-63 ; L. JADIN, *Relations des Pays-Bas, de Liège et de Franche-Comté avec le Saint-Siège, d'après les « Lettres di particolari » conservées aux Archives Vaticanes, 1526-1796* (Bibl. de l'Institut Histor. Belge de Rome, fasc. XI). Bruxellis-Romae, 1962 (pp. LXXXI+891). Praeterea R. TAVENEAU, *Le Jansénisme en Lorraine (1640-1789)* (Bibliothèque de la Société d'Histoire Ecclésiastique de la France). Parisiis, 1960 (pp. 759).

Primae hae textuum editiones regiones hodierni Belgii prae oculis habent. Ultima vero inquisitio Lotharingiam (seu partes hodierni Galliae orientalis) considerat.

A. — IN REGIONIBUS BELGII.

L. Ceyssens in collectaris a se editis nonnulla repetit quae iam a N. WEYNS publicata ac commentariis instructa fuerunt in *De Brabantse Norbertijnen en het Jansenisme*, in *Anal. Praem.*, XXIX, 1953, pp. 5-66. Quae ideo hic non iterum recensemus.

I. 1. Ad conferentiam specialem Lovanii instituendam super doctrina Iansenii, proponitur (15 februarii 1644) advocandos abbates Vlierbacensem, Gertrudanum, et Parcensem (Ioannem Masium). Dictae conferentiae (die 16 februarii 1644), inter alios, Masius de facto aderat. Praeter plures professores Universitatis Lovaniensis,

aderant « religiosi eminentioris doctrinae theologiae aliquot, a suis respectivis superioribus ad hic deputatos ». Inter quos : D. Franciscus Wennen, S.T.B.F., conventus Parcensis prior (CEYSSENS, l. c., I, p. 25, 30). Relationi de hoc conventiculo factae, subscripsit et abbas Masius. — Die eadem, 16 februarii, abbas Masius litteras scribit professori ab Angelis, in quibus mirationem suam exprimit de ratione agendi Magnifici Rectoris Universitatis, censetque unice inquirendum esse an expositiones Iansenii convenient cum doctrina S. Augustini, necne (l. c., p. 37 s.). — In litteris diei 2 martii 1644, Masius, qui se dixit mandatum a Statibus Brabantiae ut inquisitionem faceret de querelis ab universitatis Rectore factis de iure nominationum ad nonnulla munera ecclesiastica (p. 49 s.).

2. Quidam « antiiansenista » coram A. Bichi, internuntium, die 8 aprilis, protestatur contra conclusiones a fr. Liberto De Pape, religioso Parcensi, in materia de gratia defensas in Universitate, praeside professore Fromondo. De Pape sententias proscribendas Iansenii aperte defendisset (pp. 62 s.).

3. Anno 1644 ex parte Statuum Brabantiae deputati nonnulli Lovanienses Romam missi fuerant, ut in Urbe « veram doctrinam Iansenii » exponerent. Cum de hac ratione agendi episcopus Antverpiensis (Nemus seu Du Bois) informationes requisivisset, Masius fuse exponit quo modo Status ad hanc conclusionem devenerint (p. 70-72). — De eadem deputatione Romam missa, Sinnich, unus ex illi deputatis, ex Urbe Masio scribit, eumque laudat « pro virili constantia, in propugnatione gratiae, quam verbo et exemplo a persecutione arbitrianorum liberare satagit » (p. 101 s.).

4. Die 27 decembris 1644, archiepiscopus Mechliniensis, Boonen, abbatem Averbodiensem, Ambrosi, rogat ut inquirat de nativitate Caleni, episcopi nominati Ruremundani. Litterae istae iam editae fuerunt a Pl. LEFÈVRE in *Anal. Praem.*, II, 1926, pp. 202-203.

5. Ineunte mense aprilis 1646, P. de Landsheere, S.I., conferentiam habuit publicam in qua asserebat plures non oboedire decisionibus Ecclesiae in materia de gratia. Hoc dictum erat occasione concionis prolatae a priore abbatiae S. Michaelis Antverpiensis. Abbas S. Michaelis contra hanc conferentiam longam protestationem misit « Eximio Domino Praesidi » non explicite nominato (die 16 aprilis 1646) (p. 355-358). Iterum de hac re idem abbas eidem Eximio Praesidi scripsit (die 18 aprilis) (p. 361 s.). — Tandem, die 20 aprilis eiusdem anni, sex abbates Praemonstratenses (Grimbergensis, Parcensis, Tongerloensis, Floreffensis, Heylissemensis, We-

saliensis) fuse archiepiscopo Mechliniensi exponunt se omnino et stricte fideles remanere velle sententiae humillimi Patris Augustini de gratia (pp. 363-365). — 21a die eiusdem mensis, abbas S. Michaelis Antverpiensis, Van der Sterre, de eadem materia scribit abbati Bernensi, Leonardi Bosch (p. 365 s.). — Die 2 septembris 1646, idem Van der Sterre eidem abbati Bernensi scribit festum S. Augustini Antverpiae solemniter fuisse celebratum, et hac occasione disputationes theologicas habitas esse « secundum mentem S. P. N. Augustini » ; prima thesis defensa « praeparatoria est ad materias victricis gratiae, quae indubie triumphabit et difflabit omnia molimina humanae sapientiae, tempore providentiae beneplacito » (p. 412).

6. Abbas Masius, post diem 28 septembris 1646, notat nonnullas sententias PP. Societatis Iesu censura condemnatoria esse notatas (p. 420).

7. Die februarii, P. de Landsheere, S.I., iterum verba vehementia habuit de abbatibus, episcopis, immo et de S. Augustino, de quo dixerat hunc patrem antiquum (een Oud-Vader) errare posse. Simulque nervose libellum P. Cobbaert, Praemonstratensis Nino-viensis (cfr. N. WEYNS, l. c., p. 36-43), « *Rythmica consideratio* » agressus est (p. 440). Libellus iste ab episcopo Antverpiensi proscriptus fuit, die 25 februarii 1647 (p. 442). Cobbaert vero sese acriter defendit ; litterasque de hac re misit abbati Parcensi, Masio, die 18 aprilis 1647 (p. 647 s.). — S. Officium in Urbe, ex sua parte, P. Wadding, qualificatorem istius dicasterii, interrogavit utrum censura theologica notari deberet libellus Cobbaert. — Die 17 iunii 1647, internuntius Bichi suspendit Pontanum, censorem libri Lovaniensem, eo quod approbationem dederat publicando libello Cobbaert (473 s.). — De eodem negotio Consilium Brabantiae egit die 4 iulii 1647 (p. 474 s.). — Iterum de negotio libelli Cobbaert P. Schega, S.I., confessarius archiducis Leopoldi, litteras misit internuntio Bichi, die 8 augusti 1646 (p. 488 s.). — Nuntius apostolicus in Madrid, Rospigliosi, de eodem libello scripsit regi Philippo IV (506).

8. De litteris missis, die 20 aprilis 1646 (cfr. supra, sub n. 5), P. Schega longam epistolam misit P. de Montmorency, assistenti generali S.I. in Urbe, die 1 novembris 1647 (p. 514-517).

9. Die 5 novembris 1647, a Consilio Status, proponuntur quatuor candidati ad viduatam Ecclesiam Buscoducensem ; quartus inter illos erat abbas Tongerloensis, Wichmans (p. 517).

10. Paucis diebus ante 24 novembris 1647, quinque abbates Praemonstratenses (nomina non adduntur) rogant gubernatorem generalem civilem ne promulgaret bullam condemnatoriam Iansenii. Ratio est : Praemonstratenses profitentur regulam divi Augustini ; similiter « ad amplectendum et sequendum eius doctrinam praesertim in materia de divina gratia utique a Summis Pontificibus et conciliis oecumenicis probatam ac a tota Ecclesia receptam singulari statuto obstringuntur ». Promulgatio bullae de « Iansenio » positioni Praemonstratensium doctrinali et disciplinari ergo damnum inferret (pp. 521-524). — Idem iterum rogant cancellarium Brabantiae, versus 15 ianuarii 1648, duo abbates Praemonstratenses, Augustinus Wichmans, abbas Tongerloensis, et Martinus Van den Hecke, abbas Diligemensis (p. 545 s.). — Iterum idem rogatur ab abbatibus Praemonstratensibus, non nominatis, scribentibus litteras ad Consilium Privatum Brabantiae (versus 15 ianuarii 1648) (p. 547 s.).

11. Neo-abbati Parcensi, De Pape, litteras congratulatorias misit professor Lovaniensis Pontanus. In litteris istis haec dicit de abbate defuncto, Masio : « Succeditis viro magno, qui inter praelatos Belgii flos et decus fuit, propter varias animi dotes, quibus excellebat... Defensorem acerrimum doctrinae b. Augustini ipsum habuimus » (p. 550). Litteras similiter gratulatorias eidem neo-abbati misit Fromondus, professor universitatis Lovaniensis (p. 551). — Paulo post, abbas De Pape rogaverat professorem Pontanum, ut iste orationem panegyricam habere vellet in honorem abbatis Masii. Pontanus ideo informationes ulteriores quaesivit a De Pape, die 14 martii 1648 (p. 557). Abbas De Pape illam orationem peragendam prius proposuerat rectori Universitatis, Laurent. Iste, litteris diei 14 martii 1648, huic propositioni non censuit annuendum esse. Simul vero congratulatus est neo-abbati de nominatione abbatiali tandem adepta (p. 557 s.).

12. Die 12 novembris 1648, episcopus Tornacensis, Fr. Villain, litteras misit Summo Pontifici, Innocentio X. Inter alia quaesita, etiam de « Iansenismo » in his litteris sermo erat. Inter alia, ita censet episcopus ille : « Quantum vero ad theologos, notissimum est, quod ii qui vocantur Iansenistae, et inter eos, ut plurimum, religiosi Praemonstratenses, magis quam alii, cum aliquot doctoribus academiae Lovaniensis, Ecclesiam omnino perturbant et conscientias infirmorum illaqueant, neque ullo modo decretis inhibitoriis Sanctae Sedis contra librum Iansenii, episcopi Iprensis, nuper defuncti (qui Augustinus nuncupatur) obedire, aut acquiescere intendunt, cum et

novissime prodierit opusculum novum, in forma dialogi inter divos Ambrosium et Augustinum (agitur hic de libello Cnobbaert, Colloquium rhythmicum...), ad dogmata eiusdem episcopi Iansenii sustinenda... » (p. 614-616).

13. In litteris missis ab internuntio Bichi, die 19 februarii 1649, gubernatori generali, Leopoldo Wilhelmo, sermo fit de iis qui publicationem bullae pontificiae contra doctrinam Iansenii impedire voverunt. Aitque internuntius : « Degli abbati Premonstratensi che già diedero a V. A. le scritture a favor del Jansenio, ne sono morti due o tre, et li altri è da credere che non si impegneranno più nella difesa di questa dottrina... » (p. 653-656).

14. Die 28 augusti, quinque abbates Praemonstratenses litteras miserunt regi Philippo IV de difficultatibus motis circa librum Iansenii (p. 719). — Idem fecit archiepiscopus Mechliniensis, Boonen (30 septembris 1649), in quibus explicavit suam agendi rationem in negotiis motis circa doctrinam Iansenii ; egit archiepiscopus, ita ipse, iuxta « l'écrit et les remontrances de la faculté de théologie de l'université de Louvain, des prélats de l'ordre de Prémontré, des supérieurs et plus célèbres théologiens d'autres ordres » (p. 728-735).

15. Refertur tandem epistola abbatis Van der Sterre abbati Grimbergensi, de Velasco, de publicatione imposita bullae contra doctrinam Iansenii ; epistola haec scripta fuit die 29 decembris 1649 (p. 762 s.).

16. In appendice prima huius tomi P. Ceyssens publicantur excerpta e tomis 18 in-folio, quae continent notas collectas in S. Officio. Inter fautores Iansenii, in his notis citantur « surtout abbas Parcensis » (Masius) (p. 768). Asseritur finiente mense augusto 1644 habitum esse in abbazia Grimbergensi, conventiculum, in quo « il fut résolu que l'on dirait que Jansénius ne tenait point les propositions condamnées en la bulle, et qu'on n'est point obligé de se soumettre et captiver son esprit en une chose de fait, et que même le contraire conste que Jansenius ne défend ni ne tient aucunement ces propositions condamnées... » (p. 809). Sermo fit de libello Cobbaert (p. 811), et de litteris missis a P. Schega, supra citatis (p. 812 s.).

II. Alter tomus fontium publicatus a L. CEYSSENS, acta refert annorum 1644-1653.

1. Die 5 februari 1650, scribit archiepiscopus Boonen Consilio privato Gubernii se egisse « à l'instance des prélats de l'ordre de Prémontré et de la faculté de théologie de Louvain » (p. 13).

2. Rector universitatis Lovaniensis, die 9 martii 1644, inquisivit

de iis quae contra doctrinam S. Augustini a duobus professoribus universitatis dicta fuissent. Inter interrogatos de hac re habetur Bartholomaeus Gijssens, praemonstratensis (p. 26).

3. Litteris diei 23 augusti 1650, refert nuntius apostolicus Parisiensis, Guidi di Bagno, cardinali Carpegna, se inquisivisse de « religione Praemonstratense e de' Padri superiori e del governo e vita e costumi di essi ». Praecipue de Praemonstratensibus Flandriae examen institutum fuit. Internuntius Belgii nuntio Parisiensi scripsit « che fosse meglio di rimettere alli superiori di detta religione di trattare la materia in uno o più reiterati capitoli, riservata l'approbatione alla Santità Sua » (p. 59 s.).

4. Die 6 novembris 1650, habita est deliberatio facultatis S. Theologiae universitatis Lovaniensis, in qua celebre testimonium in favorem Praemonstratensium admissum fuit. En hoc praeclarum testimonium : « Datae fuerunt Praemonstratensibus Circariae Brabantiae testimoniales exemplaris vitae et eminentis scientiae, tenoris sequentis : Cum aequum sit rogatos praebere testimonium veritati, nos decanus et facultas S. Theologiae in academia Lovaniensi per praesentes fidem facimus et testamur, Ordinem Canonicorum Praemonstratensium, a S. Norberto a quinque et ultra saecula institutum, in hunc usque diem ecclesiae Belgicae fuisse summe proficuum.

Enimvero, post nefariam Tanchelini haeresim Antverpiae (Belgii oculo) per sanctissimum istius Ordinis fundatorem profligatam, eius filii eadem in arena gloriose decertant, Sacrosanctae Eucharistiae, ut et coeterorum fidei mysteriorum, strenui defensores ; in coenobiis suis disciplinae regularis votorumque observantia nulli secundi, in curis pastoralibus (quas in Belgio plurimas obtinent et gubernant) doctrina et pietate eminentes, ita ut episcopi Belgae eo feliciores se existiment, quo plures sub se habuerint istius ordinis pastores sive animarum rectores. Qui porro studia pietati etiamnum associant, manifeste probant duo Candidorum theologorum collegia (ultra S. Theologiae in omnibus eorum coenobiis studium) in hac universitate florentia. Probat et manifestius, quod nuper unius triennii spatio oculis nostris vidimus in publicis nostris scholis per Candidos Canonicos, unius dumtaxat Circariae seu Provinciae Brabanticae, habitas 100 praecise publicas disputationes : ex S. Michaeli 39 ; ex Tongerloa 34 ; ex Parco 10 ; ex Ninovia 10 ; ex Berna 7. Advertimus intra idem spatium integram quadragesimam Candidorum disputationibus absolvi. Notavimus ex eodem 45 baccalaureos actuantes. Ad gradum vero licentiae theologiae ex eodem Ordine et Circariae

eiusdem triennii spatio promotos 17. Et modo ex solo monasterio Parcensi ad gradum licentiae continuatis disputationibus aptantur 6. Videnturque a Domino messis praestantissima quaeque bonae indolis ingenia ad sacri instituti D. Norberti monasterio singulariter directa, ibidem doctrina et S. Religione probe excolenda, ut inde operarios educeret in messem suam per universum Belgium » (p. 78 s.). — Die 5 decembris 1650, fere idem testatur archiepiscopus Mechliniensis, Boonen : « Fidem facimus et attestamur ea quae in dioecesi nostra sunt Ordinis Praemonstratensis abbatia monasteria Grimbergense, Parcense, Ninoviense, Diligemense et Heylescemense a regularis disciplinae et piorum exercitiorum observantia, animarum zelo, conversationis modestia, vitae castimonia, victus frugalitate, in pauperes liberalitate, sacrorum studiorum exercitatione, cum proximi aedificatione optime apud omnes in dioecesi nostra audire ; tantum abest ut labescentis disciplinae indicia observare potuerimus, quin potius ordinem illum recte et laudabiliter iuxta religionis normam per suos respective praelatos, cum nostra satisfactione et subditorum nostro- rum eximia probatione, videamus gubernari. Hinc mirati sumus congregationem illam, vere a virtutum et eruditionis splendore candidam, a quibusdam nigro carbone notari, et officii nostri esse duximus ad huic calumniae, quantum in nobis est, viam praeccludendam, hasce testimoniales manu propria signare et sigillo nostro munire » (p. 88 s.).

5. De decreto Capituli strictioris observantiae, diei 27 aprilis 1651, nihil amplius dicere debemus, cum iam in nostris Analectis antea publicatum fuerit : XXXV, 1959, p. 153 s.

6. Episcopatu Iprensis vacante, ad hoc munus, inter alios, Van der Sterre, S. Michaelis Antverpiensis, uti candidatus propositus fuerat tum ab episcopo Gandavensi, tum a Consilio Status (de Robles de facto ad hoc munus designatus fuit) (p. 324 s.).

7. Scribunt archiepiscopus Mechliniensis, Boonen, et episcopus Gandavensis, Triest, circa 23 augusti 1652, Consilio privato, de procuratore Romam misso, et hac occasione sermo fit de procuratore olim, saeculo decimo quinto, data abbati Parcensi, Van Tulden, Romam misso. (Hac occasione, editor, P. Ceyssens, refert de hoc facto plura documenta adesse in Musaeo Bellarmino (Arch. archidioec. Mechl.), D2, N° 44, f° 91-113.

8. Vacante praelatura S. Michaelis Antverpiensis, a Consilio Status proponitur nominandus ad illam praelaturam Norbertus Van Couwerven (litterae : 20 sept. 1652). Iste de facto abbas fit. De hac

re, die 2 novembris 1652, scribit internuntius, Mangelli, cardinali nepoti, Astalli-Pamfili, se antea interrogatum esse nomine Regis, utrum Van Couwerven doctrinae lansenii esset addictus, additque se audivisse Van Couwerven de facto esse sectatorem illius doctrinae (p. 434 s.). — Cardinalis Astalli-Pamfili, die 7 decembris ex Urbe respondit internuntio, se cum satisfactione audivisse Archiducem ab abbate Van Couwerven nominando prius exigere velle iuramentum antiiansenisticum, simulque se obedire velle bullis Romanis de hac re (p. 446). Iuramentum istud ab abbate Van Couwerven, hac occasione emissum, die 13 decembris 1652, (et cuius formularium deinde ab internuntio Romam transmissum est), ita sese habet :

« Ego frater Norbertus Van Cauwerven profiteor me obedientem Sanctae Romanae Ecclesiae ac Sanctissimo Domino Nostro Innocentio..., quam constitutionem ego integre accepto et cum ea in omnibus sentio et consentio, ac promitto me quantum in me fuerit curaturum ut praefatam constitutionem omnes et singuli religiosi meae iurisdictioni subiciendi acceptent et in omnibus cum eadem sentiant, et consentiant ideoque in publicis actibus communitatis praecipiam et mandabo acceptionem, approbationem et observantiam praefatae constitutionis sub poena censurarum et aliis poenis de iure imponendis, cuius praecepti et mandati iubebo fieri authenticum documentum tradendum personae in cuius manibus hoc iuramentum praesto. Et si quid a me dictum, scriptum vel opinatum fuit in favorem doctrinae lansenii et contra tenorem dictae apostolicae constitutionis, revoco, irrito et annullo, atque in casu contraventionis praesentis iuramenti expresse me submitto et consentio poenis mihi de iure imponendis, ita spondeo, voveo et iuro ego idem Fr. Norbertus Van Cauwerven. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia.

Infrascriptus attestor et certam fidem facio suprascriptum P. Fr. Norbertum Van Cauwerven, ordinis Praemonstratensis, electum abbatem monasterii S. Michaelis Antverpiae, hoc praescriptum iuramentum praestitisse coram me et in manibus meis, tacto S. Evangelii libro, ex commissione ad hoc specialiter mihi data ab Illmo D. A. Mangello, pronuntio apostolico. In cuius rei maiorem fidem hic manu propria subscripsi, Antverpiae, 13 decembris 1652. Fr. Marius-Ambrosius Capello, O.P. » (iste, tunc, erat episcopus Antverpiensis).

Tandem, die 31 ianuarii 1653, abbas Van Couwerven religiosus

sui conventus mandat ut tenor Bullarum SS. Pontificum de « Iansenismo » ab omnibus accurate servetur. Testimonium huius actus invenitur apud N. J. WEYNS in *Anal. Praem.*, XXIX, 1953, p. 49 s. — P. Ceyssens (l. c., II, p. 464 s.) copiam huius testimonii refert. Additque testimonium hoc esse signatum hac ratione : « In quorum fidem hoc documentum propria manu scripsi et nomine meo signavi, fr. Norbertus Abbas S. Michaelis ; fr. Udalricus Elsevier, superior ; fr. Michael De Bie, circator ».

Paulo post, die 15 februarii 1563, internuntius, Mangelli, documenta de negotio isto Romam transmisit, brevibus litteris adiectis (p. 467 s.).

9. Ex parte universitatis Lovaniensis et abbatum nonnullorum Ordinis Praemonstratensis Romam missi fuerant deputati, ut in Urbe agant de « vera » (eorum sententia) Iansenii doctrina exponenda. Deputati commendantur a rege Hispaniae Philippi IV apud Summum Pontificem, Innocentium X, et cardinalem Trivulzi (pp. 468-470).

10. Internuntius, Pamfili, abbati Parcensi, De Pape, et Vicario Circariae, communicaverat bullam pontificiam « Cum occasione », in qua quinque propositiones Iansenii qua haereticae damnabantur. Abbas De Pape statim (die 22 augusti 1653) Internuntio integram et perfectam obedientiam spondet (Cfr. WEYNS, l. c., p. 51 s. ; CEYSENS, II, p. 594 s.).

11. Tandem, in altero tomo editionis « Actorum » P. Ceyssens, referuntur extracta ex iis quae S. Congregationi S. Officii communicata erant a P. Rapin, pro annis 1650-1653. Addunturque ab editore appendices tres, cum nonnullis documentis antea non memoratis. Sermo hic fit de memoriali quodam abbatis Parcensis Masii (24 oct. 1644) ; agitur in eo de colloquutione habita cum Michaele Paludano, O.S.A., de candidatis ad professoratus Lovanienses. — Postea, Pontanus, professor Lovaniensis (26 oct. 1644), de eodem negotio litteras mittit abbati Parcensi (pp. 808-811).

III. Die 7 decembris 1690, S. P. Alexander VIII damnaverat 31 propositiones. P. Ceyssens examini historico submittit propositiones nonnullas ex illis 31. In hoc examine iteratis vicibus sermo fit de Macario Havermans (cfr N. WEYNS, l. c., pp. 55-62). Prima propositio damnata, iuxta quosdam, sumpta esset e scriptis Havermans. Hoc non videtur sustineri posse, nisi nuntiae plures a Havermans allatae despicerentur. (Ita L. CEYSENS, in *Rev. Hist. ecclés.*, LX, 1965, p. 36 s.). Item de secunda propositione secunda dam-

nata dicendum videtur, relate ad Havermans, canonicum S. Michaelis Antverpiensis (l. c., p. 56-58). — Quod attinet hanc secundam propositionem, potissimum ad doctrinam defensam a canonico eiusdem abbatae, De Witte, reflectebatur. De Witte s. theologiam per aliquot annos docuit in canonia sua († 7 maii 1686), et inter alumnos habuit Havermans. Secunda propositio damnata desumpta est ab illis qui Romae promotores fuerunt damnationis e conclusionibus theologicis, defensis in abbacia S. Michaelis, praeside I. De Witte. Ostendit vero P. Ceyssens (l. c., pp. 57-60), etiam hic ab adversariis De Witte nuntias non spernandas allatas esse doctrinae vere defensae sub praesidio De Witte.

IV. Supra (p. 138), dictum est L. JADIN edidisse plura documenta ecclesiastica. Inter haec documenta, nonnulla indicationes referunt de Praemonstratensibus. Haec summarie indicamus : 1. Cum Emmanuel Schelstrate (anno 1683, praeses Bibliothecae Apostolicae Vaticanae), filius eiusdem matris ac abbas Van der Poorten, S. Michaelis Antverpiensis, provisione apostolica factus fuerit canonicus ecclesiae cathedralis Antverpiensis, litteras misit abbas Van der Poorten Summo Pontifici, Innocentio XI, ut de illa promotione gratias redderet (Jadin, l. c., p. 246).

2. Die 12 iulii 1677, Christophorus Heest, abbas Floreffensis, litteras mittit Innocentio XI, in favorem PP. Societatis Iesu, Namurci commorantium (Jadin, l. c., p. 312).

3. Cum nonnulli scripsissent Cardinali Spada ut « iansenistae » ab omnibus functionibus ecclesiasticis semoverentur, alii protectionem eiusdem Cardinalis invocarunt ne tale intentum in praxim deduceretur. Inter illos qui has litteras miserunt, habetur R. Backx, canonicus Antverpiensis, frater I. Backx, qui tunc praeses erat Collegii S. Norberti in Urbe (Jadin, l. c., p. 380).

4. Scribit P. Bourdon cardinali Paolucci. Abbas Belli Reditus, Jullin, quondam lector philosophiae ac s. theologiae in sua canonia, electus abbas anno 1706, religiosum suae abbatae excommunicaverat ob manifestam contumaciam. Cumque episcopus Leodiensis defenderet hunc religiosum excommunicatum, Bourdon ex sua parte Romae defendit abbatem ; hunc magnopere laudat ob virtutes vere religiosas, scientiam, pietatam ac modestiam.

5. Cum Havermans defenderit librum : *Pentalogus*, etc. (cfr. WEYNS, l. c., p. 61 s.), qui postea fuit Romae damnatus, scribit Carolus ab Assumptione, O. Carm. disc., Innocentio XI, in damnatione libri illius ac in destructione libri eiusdem, iussu superiorum

Ordinis, actum esse potius de personis quam de determinata doctrina (l. c., p. 243 s.).

B. — IN REGIONIBUS LOTHARINGIAE.

Prof. TAVENEAU in volumine in quo de « Iansenismo in Lotharingia » fuse et eruditissime agit, thema tractatum synthetice tractat. Bibliographia accuratissima praemissa, ambiens spirituale regionis praeprimis depingit. In quo conspectu inde a limine expositionis suae momentum abbatiarum ac monasteriorum extollit. Lotharingia siquidem tunc temporis sub hoc respectu quam maxime dotatum erat monasteriis plurimis, et quidem florentibus. Pro Ordine Praemonstratensi, existerat et florebat ibidem « Communitas antiqui rigoris ». Praeterea, tempore orientis Protestantismi, Lotharingia fidelis remansit religioni catholicae : « îlot d'orthodoxie catholique dans les pays du nord plus ou moins gagnés au protestantisme, la Lorraine n'offrait-elle pas au grand dessein de la Contre-Réforme le bénéfice d'une situation providentielle ? Ce fut déjà la pensée de plusieurs pères du concile de Trente, dont le grand cardinal Charles de Lorraine et Nicolas Psaume, évêque de Verdun ; celle aussi du Saint-Siège qui trouva chez les ducs des artisans zélés de ses projets. La Lorraine devint ainsi, dans l'Europe des XVI^e et XVII^e siècles, une des bases de reconquête du catholicisme. La fondation de l'université de Pont-à-Mousson, en 1573 — l'année même de la Saint-Barthélémy — fut, dans cette perspective, une manière de symbole » (p. 70). In eadem regione florent formae populares devotionis affectivae : peregrinationes ad sanctuaria Marialia, potissimum ad sanctuarium Benoîte-Vaux (curatum a Praemonstratensibus) maxime frequentantur (p. 74 s.). Ineunte saeculo decimo sexto expositiones ac tractatus vitae sic dictae spiritualis imo et mysticae apparent. Essentia et secretum amoris Dei inquiruntur ac describuntur. In universitate Mussipontana (Pont-à-Mousson), magna cura adhibetur in fontibus fidei et theologiae inquirendis et ponderandis.

Cum proscriptiones doctrinae ac tendentiae « iansenisticae » notae factae fuerint in Lotharingia, relative facile acceptae fuerunt. Tum capitulum cathedrale, cum parochi, tum monasteria Ordinum religiosorum (inter quod Praemonstratenses) formulario proscriptionis subscripserunt. Non omittendo tamen — ex parte Ordinum religiosorum — allusionem ad exemptionem canonicam qua fruebantur et immediatam subiectionem Sanctae Sedi.

Versus finem saeculi decimi septimi status rerum quodammodo mutatur. Quod apparet maxime apud monachos S. Benedicti Congregationis dictae a Saint-Vanne. Postea scripta Quesnel influxum habere coeperunt. Et hic pro prima vice sermo fit est de annalista Ordinis nostri, C. L. Hugo, abbate Stivagiensi (Etival). « Hugo, ita Taveneaux, est resté célèbre surtout par les controverses des années 1720-1730 et sa défense de la juridiction quasi-épiscopale des territoires vosgiens, mais sous l'épiscopat de Bissy (évêque de Toul), il enseignait la théologie et mettait son talent de polémiste au service des querelles dogmatiques. Sa doctrine était considérée comme suspecte : en 1691 il avait, étant maître des novices à l'abbaye de Jand'heures, présenté des thèses dans lesquelles il soutenait ouvertement des opinions jansénistes et s'insurgeait contre les décisions d'Innocent X et d'Alexandre VII. Les abbés prémontrés et les supérieurs de la congrégation réformée, réunis en chapitre à Pont-à-Mousson le 15 décembre 1696, avaient condamné dix propositions fallacieuses extraites de sa thèse (Lettre de l'évêque de Toul (Bégon) au pape, Toul, 17 juillet 1728 : Arch. Vat., Lettere di vescovi, vol. 150, fol. 186r-187r). Hugo s'était soumis avec une humilité apparente, mais l'université de Pont-à-Mousson avait continué à lui refuser le grade de docteur s'il ne « soutenait pas de thèses contradictoires à dix propositions janséniennes qu'il avait enseignées et dont il avait demandé l'approbation à la Faculté de Louvain ». Dans l'intervalle, Hugo avait pris le bonnet à Bourges, mais il n'oublia jamais l'opposition des jésuites à son égard. Or, c'est précisément à ce religieux que Bissy confia la censure des livres suspects dans son diocèse : il en résulta un tel développement de la propagande janséniste dans les duchés, que le pouvoir civil dut intervenir, enlever le contrôle des livres aux évêques et le réserver à la faculté de théologie de Pont-à-Mousson » (p. 201 s.). Abbas Hugo partes ducis Leopoldi, amicus « iansenistarum » omnino favit. Refert Taveneaux Hugo in disputatione publica thesium in Nancy philosophiam tunc dictam « novam » defendisse. « Les argumentants (die 21 septembris 1705) les plus notoires furent dom Petidier, ..., le P. Eveillard, ..., et le Père Hugo, prieur des prémontrés de Nancy, qui fit un parallèle entre les philosophies anciennes et le cartésianisme. Ce fut une attaque en règle contre la scolastique et la philosophie d'Aristote qui fut qualifiée de babillarde » (p. 271). Cumque ulterius bulla Clementis XI « Unigenitus » contra Iansenismum publici iuris facta esset, plurimorum oppositio huic Bullae patefacta est. Cumque dux Leopold-

dus bullae adversaretur, publica adhaesio facilis pluribus non erat. In litteris D. Petitdidier, O.S.B., hic « raconte comment son frère, le P. Jean-Joseph Petitdidier, alors chancelier de l'université (Pont-à-Mousson), arracha en 1716, au cours d'une assemblée de docteurs, une adhésion à la constitution : il présenta un acte tout préparé, obtint la signature de l'écolâtre de Nancy, celle des abbés prémontrés de Rangéval (J. Charton) de Sainte-Marie de Pont-à-Mousson (J. Malcastel) et de Justémont (H. Bertinet)... Dans les semaines qui suivirent, le P. Petitdidier glana encore des signatures auprès des docteurs de passage ; il essuya de nouveau plusieurs refus, en particulier celui du P. Le Lorrain, prieur des prémontrés de St-Paul de Verdun » (p. 272, n. 42). Postea vero, orta intentione erectionis novae dioeceseos in St-Dié, (in istis eventibus abbas Hugo directe mentem suam positivam defendit), Leopoldus dux fovere coepit anti-iansenistas.

Alia testimonia refert Taveneaux e quibus patet non paucos Praemonstratenses in Lotharingia favorabiles fuisse tendentiis « iansenisticis ». « Le grand monastère prémontré de l'Etanche constituait, lui aussi, un anneau important dans la chaîne du jansénisme monastique : l'abbé élu en 1711, Jean-François-Joseph Boucart, docteur en théologie, était en relations avec l'abbaye de Beaulieu au moment où s'y fondait l'académie ; il était au dire de dom Thierry de Viaixnes, un très zélé augustinien qui faisait venir de Reims des ouvrages jansénistes par l'intermédiaire de Beaulieu » (p. 302). Eandem tendentiam in abbazia Virdunensi extitisse sequitur ex oratione habita « par le P. Robinet, le 11 juillet 1717, en l'église des prémontrés de Verdun, les attaques de prédicateur contre la constitution amenèrent quelques remous dans l'opinion. — Sur le jansénisme chez les prémontrés de Verdun, cf. lettre de dom M. Petitdidier à dom Th. de Viaixnes, Senones, 30 oct. 1717 » (p. 302, n. 81). Praemonstratensium communitates vero non videntur oppositas fuisse bullae Unigenitus. « Il y eut des oppositions individuelles à la bulle, mais pas de mouvement collectif. Ainsi Nicolas-Joseph de la Haut, religieux à St-Paul de Verdun, à Belval puis à Mureau, ne cacha jamais ses sentiments jansénistes et refusa la signature du formulaire » (p. 382, n. 80).

Etiam de abbazia Aureae Vallis (Orval), per transennam, agit Taveneaux. Monachi huius abbatae fautores ferventes erant Iansenismi ; et bullam « Unigenitus » simpliciter reiciebant. « Il fallut attendre les premiers mois de 1725 pour que Rome, inquiète d'une

résistance devenue dangereuse, se décidât à mettre en œuvre les grands moyens : l'internonce aux Pays-Bas, Joseph Spinelli, fut constitué par Benoît XIII légal spécial avec pouvoirs illimités pour mener la visite canonique de l'abbaye. Il délégua en fait dans ces délicates fonctions, Augustin van Eeckhout, abbé prémontré de Grimbergen. Pendant les deux semaines qu'il demeura à Orval, en septembre 1725, le prélat conduisit l'enquête avec un soin scrupuleux et s'efforça, tantôt par la douceur tantôt par la menace des censures, d'amener à résipiscence les réfractaires. Le résultat fut médiocre : au cours même de la visite, quinze religieux quittaient le monastère, passaient en France puis, par étapes, gagnaient la Hollande où, accueillis par l'archevêque d'Utrecht, Corneille-Jean Barchman, ils allaient devenir un élément actif de l'Eglise janséniste et former la communauté cistercienne des orvalistes de Rynwyk » (p. 392 s.).

Plures Praemonstratenses in Lotharingia bullam « Unigenitus » recipere renuerunt. Notat Taveneaux (p. 633) : « Beaucoup d'abbayes conservaient leurs attaches idéologiques avec le jansénisme. Les prémontrés en exposaient ou professaient, ouvertement parfois, les doctrines : ainsi à Sainte-Marie de Pont-à-Mousson, le Frère Conrard, dans ses écrits spirituels, développait les thèses sur l'efficacité de la grâce et la nécessité de la contrition pour la justification ; un enseignement semblable était donné plus explicitement encore à l'abbaye de Mureau. — Recueil des ouvrages composés par le Fr. Conrard, profès chez les prémontrés de Sainte-Marie de Pont-à-Mousson : Bibl. Nancy, ms. 1588(959). — En 1748, il y eut encore un appelant à Mureau : le Fr. Henry Braux qui adressa son acte à l'évêque d'Auxerre, Caylus. Le Fr. Braux... s'unit aux miracles du diacre Pâris et aux convulsions. Lettre en appel (original) : Bibl. de l'Arsenal, Bastille, ms. 10189. — Le jansénisme eut des adeptes, tel le P. Nicolas-Joseph de la Haut, dans d'autres abbayes comme Saint-Paul de Verdun ou Belval. A Etival même, Hugo qui professait cependant une soumission au moins de façade, se choisit comme coadjuteur un appelant et réappelant, le P. Saulnier ; celui-ci dut d'ailleurs révoquer ses actes pour obtenir ses bulles. Le jansénisme demeure vivant à Saint-Paul de Verdun à la fin du siècle ».

Varii libri conscripti a Nicolao Collin, priore abbatiae Rengisvallis (cfr. L. GOOVAERTS, *Ecrivains, artistes et savants de l'Ordre de Prémontré*, t. I, 1899, pp. 133-135), contra libros P. Collet, iuxta

Taveneaux etiam tendentiam « iansenisticam » redolent ; aut saltem strenue invehunt contra tendentias naturalisticas qui in theoriis P. Collet inesse videbantur.

Tandem ultimus abbas Vallis Dei (Laval Dieu), Nicolas Lissor partes suas egit in historia de qua hic agitur. Lissor abbas factus erat anno 1766. « Lissor exerça un rôle très important dans la rédaction ou la révision des livres liturgiques à l'usage des prémontrés, qui parurent à Nancy en 1786 et 1787. Après une participation active de l'Eglise constitutionnelle, il se soumit au moment du concordat et mourut en 1806 » (p. 709, n. 13). Idem Lissor gallice, sub forma quodammodo breviori, ediderat librum de Hontheim (Febronius) : *De statu praesenti Ecclesiae et legitima potestate romani pontificis*. « Tout en édulcorant les expressions trop dures de Hontheim et ses sorties trop vives contre la Cour de Rome, le traducteur revendique cependant pour son œuvre le patronage de Gerson, du Père Noël Alexandre, de van Espen et de Héricourt. A leur suite, sa réflexion s'applique naturellement au problème — sous-jacent à toute la querelle de l'Unigenitus — du dépôt de la vérité dans l'Eglise, c'est-à-dire, corrélativement, de la hiérarchie ecclésiastique dans ses origines et sa nature. Ainsi est-il conduit à dénoncer, au nom de la tradition apostolique, les « conséquences pernicieuses » du système apostolique... D'où cette conclusion sur l'Eglise : On peut toujours reconnaître en elle le doigt de Dieu, en ce qu'elle ne souffrit jamais d'altérations dans sa croyance et dans sa morale, mais quant à la forme du gouvernement, à peine peut-on reconnaître en elle un gouvernement divin ». De telles propositions, apparentées à l'idéal égalitaire de Quesnel, devaient assurer le crédit de l'auteur auprès des jansénistes : le fébronianisme recruta des adaptes en Lorraine, spécialement sur la frange contiguë au diocèse de Trèves » (p. 709 s.).

J. B. VALVEKENS, O. Praem.

Schönauer Jubiläum 1965.

Die hl. Elisabeth von Schönau starb am 18. Juni 1165.

Im Kloster Schönau in der Diözese Limburg/Lahn lebt die i. J. 1946 aus ihrem Kloster Tepl in Böhmen vertriebene Ordensgemeinschaft des Praemonstratenserstiftes Tepl als « Stift Tepl in Kloster Schönau » weiter. Die Kirche zu Kloster Schönau, zugleich Pfarr- und Wallfahrtskirche, birgt als kostbaren Schatz die Haupt-